ſibi ſollicitudinem peracturos, & ſecundum præſentem ſaluberrimæ noſtræ diſpoſitionis obſervationem ſolatium (ſicut dictum eſt) publicum erogator manu ſua ſine ullo dolo, & fraude ſingulis militibus enumeret, quatenus unuſquiſque miles accepto per ſuam manum ſolatio, ipſe cum actuario de negotiatione [1] actuariis permiſſa ſecundum rationem agat juſtitiæ: hoc videlicet obſervando, ut pro ſingulis ſolidis actuario [2], ſive ſtatim, ſive poſt unum duoſve ſeu amplius annos reſtitutum fuerit debitum, minus quidem uno tremiſſe [3], pro temporis ſcilicet brevitate paciſci liceat: amplius autem quam unum tremiſſem nullus actuarius pro quoquo tempore ſeu annorum ſpatio paciſci penitus permittatur, nec ulla poſſit actuarius machinatione pro temporis prolixitate unius quantitatem tremiſſis excedere. §. 1. Si qua tamen inter actuarium & militem ſuper pactione, vel negotiatione tempore erogationis emerſerit dubitatio: jubemus eidem militi dandas pecunias, ab erogatore principis [4] dari, & [5] ſecundum hactenus obſervatam [6] conſuetudinem [7] [eaſdem pecunias [8]] vel ab erogatore [Principis,] vel ab actuario retineri [9], quatenus cauſa apud devotiſſima principia, propoſitis ſacroſanctis ſcripturis inter actuarium, & militem tractetur: ut ex omni parte miles nullum damnum ſub quacunque occaſione (præterquam id, quod eum ex juſta & permiſſa actuariis negotiatione debere conſtiterit) patiatur. §. 2. Super his vero, quos datis forte commeatibus abeſſe contigerit, hoc volumus obſervari, ut pecuniæ, quæ erogandæ ſunt, uſque ad triginta milites, quos tantummodo datis commeatibus dimitti ſacra conſtitutio continet, apud devotiſſima principia ſequeſtrentur: illorum ſcilicet tantummodo militum, quorum intra triginta commeatales viros conſtitutorum actuarius tempore erogationis pyctacia, utpote habita ſuper pactione, protulerit, quatenus cum iidem redierint milites, cauſa apud devotiſſima principia ſecundum præfatum modum tractata utriuſque partis indemnitati ſimiliter conſulatur. Non danda pro tempore tribuno licentia triginta viris amplius ſub commeatus occaſione dimittere. §. 3. Sin vero ſaluberrimam conſtitutionem offendendo [10] amplius quam triginta viros datis commeatibus Tribunus dimittere auſus fuerit: pecunias quidem, quæ poſt præfatorum triginta virorum numerum per commeatus [11] dimiſſis militibus erogandæ fuerant, publicæ rationi [12] erogator non dubitet reportandas. §. 4. Sciat vero Tribunus præter jam conſtitutas ſuper hujuſmodi facinore interminationes, ſeſe de propriis facultatibus ſingulis militibus, quibus ultra numerum triginta virorum ſub nomine commeatuum eos dimittendo cauſa [non [13]] conſequendi publica ſolatia dederit: quidquid ob iniquam dimiſſionem amiſerint, ſoluturum: Nec prius idem tribunus ab eodem decedat [14] numero niſi omnes hujuſmodi milites, id eſt, quos poſt permiſſam triginta virorum quantitatem, commeatus nomine dimiſerint, indemnes in hac parte atque illæſos reddiderit. §. 5. Hoc etiam [15] adjiciendo, ut ſub geſtorum teſtificatione tam decem [16] ex devotiſſimis principiis [17], primates eorum videlicet, quam unuſquiſque caput [18] ſcholæ juratus deponat ſub præſentia ſua rem ſicut ſuperius diſpoſitum eſt, fuiſſe ſubſecutam, & ſub obtutibus ſuis unumquemque militem [19] ſolatium ſuum manu ſua ab erogatoris dextra ſuſcepiſſe: & hujuſmodi geſta relatione a viro clariſſimo tribuno, vel devotiſſimis principiis intra tres menſes mittenda, ex quo profectus [20] fuerit, numerandos, ad noſtram referat pietatem. §. 6. Hoc videlicet ante omnia curando, ut pro tempore erogator, poſtquam datæ fuerint ex [21] publico pecuniæ, intra duos, vel tres menſes, ſeu quatuor, pro qualitate ſcilicet ſpatiorum commiſſam ſibi ſolicitudinem erogationis non dubitet faciendam [22]: vel ſi [23] ulterius apud ſe pecunias publicas, differendo erogationem, auſus fuerit retinere, ſciat ſe modis omnibus damnum quod ex negotiatione miles ſuſtinuerit, ex propriis facultatibus militibus ſoluturum. Scientibus his qui præfatæ diſpoſitionis obſervantiam ſive in differenda ultra ſigillatim definitum temporis ſpatium erogatione, ſive in qualibet alia parte fuerint egreſſi, non ſolum ſeſe militiæ cinguli amiſſionem, verum etiam facultatum [quoque] ſuarum publicationem pro tanto ſubituros flagitio: & inſuper erogationum quoque ſollicitudinem ab officio tuæ celſitudinis, ſi imperatoria fuerit violata diſpoſitio, ad alios transferendam. §. 7. Si vero idem officium ſimul atque hujuſmodi fuerit a quolibet facinus perpetratum, ad notitiam noſtræ manſuetudinis, vel certe ad ſcientiam illuſtriſſimæ Magiſteriæ referre curaverit [24] poteſtatis, ut ejuſdem apparitionis [25] periculo tale flagitium principales minime poſſit aures latere: quatenus [26] ex omni parte eodem [27] delicto revelato, quicunque ſaluberrimas noſtræ conſtitutionis, vel [28] pietatis ordinationes auſus fuerit violare, interminatas minime poſſit pœnas evadere: ita ut ſingulis militibus qui non obſervato in eorum perſona tenore dictæ diſpoſitionis læſi fuerint, liceat ſacratiſſimum noſtrum per unum forte, vel etiam binos milites pro omnibus verba facturos petere commeatum [29]: & porrectis precibus, quod contra noſtram diſpoſitionem paſſi ſunt, approbare: eoque facto, ſtatutis violator imperatoriæ diſpoſitionis ſuppliciis percellatur. §. 8. Illud præterea omnibus modis obſervari decernimus, ut erogator omnes pecunias, quæ mortuis [30] militibus uſque ad diem mortis eorum debitæ fuerant, ſecundum jam datam divalem diſpoſitionem [31] uxoribus vel liberis eorum non dubitet miniſtrandas.

Milites deputati ad cuſtodiam alicujus perſonæ, vel loci, annonam de publico non percipiunt. Bart.

17. Imp. JUSTINIANUS A. P. P.

CUm ſæpe contingat propter quaſdam maximas & inexcuſabiles rationes, quibuſdam ad [32] cuſtodiam vel ob aliam hujuſmodi cauſam milites [deputari, vel etiam jam [33]] deputatos eſſe & non convenias hoc modo publicum aliquod damnum ſeu diſpendium ſuſtinere: jubemus, ſi qui fortiſſimi milites ex quocunque numero, curiis, vel ſacroſanctis Eccleſiis, vel aliis perſonis pro cuſtodia (ut dictum eſt), vel [tali] alia cauſa a noſtro numine deputati ſunt, vel fuerint, ne per eorum tranſlationes, circa annonarum vel capitum [34] eis præbendorum erogationem publicis rationibus quædam læſio ingeratur: eandem rem de [35] proprio perſonam ſeu etiam perſonas, cui vel quibus deputati ſunt, vel fuerint, [hæc] modis omnibus agnoſcere, hoc tantummodo de publico pro iiſdem annonis & capite præbendo & imputando, quod in locis ex quibus præfati milites perveniunt ſeu pervenerint, imputabatur: vel ſi ante latam præſtationem ſupradictæ perſonæ recuſaverint, eoſdem milites non recedere de ſuis locis, vel eos qui receſſerint [36] ſine quadam mora ad ea redire: hoc omnifariam cuſtodiendo, ut nemo devotiſſimorum militum cuicunque perſonæ ſeu corpori ſine [37] ſpeciali noſtræ Serenitatis juſſione ſcriptis proferenda deputetur: officio tuæ celſitudinis, ſi hanc noſtræ manſuetudinis formam, quoties ſuper militibus quibuſdam deputandis aliquid ſtatutum fuerit, geſtis inſinuare, & quid eo quibus dati ſint, prout nobis placuit agnoſcere [oportet], itidem publicare minime curaverit: tam diſpendium quodcunque publicum hac ex cauſa ſuſtinuerit, ſi [38] de proprio reſarcire, quam triginta librarum auri multam pro ſua deſidia [39] imo magis contumacia, dependere cogendo: Rectoribus nihilominus provinciarum, & apparitoribus eorum, ſi ſtatuta noſtra violaverint, ſeu violari conceſſerint, ejuſdem condemnationis pœna ſubjacere cenſemus.

18.

COnſtitutio jubet, ut in regionibus retineantur imprimis ea quæ militibus eroganda ſunt, atque ita deinde procedant reliquæ cauſæ fiſci. Nec enim oportet ſolas tranſmiſſiones urgere, & erogationes militares negligere. Et ſi hanc conſtitutionem præſides violarint, aut municipia, vel quilibet alius tractator publicorum, ut de ſuo militibus pecunias exolvant, & hoc amplius mulctam C. librarum auri.

19.

COnſtitutio jubet, ſi milites propriis angariis minime dant operam perſonis quibuſdam auxilii gratia deputati, vel per commeatum dimiſſi, ut Actuarius eorum ſtipendia in ſpeciebus non accipiat, ne corrumpantur, ſed in auro, facta ſpecierum æſtimatione ſecundum [40] rationem menſæ, & jurejurando præſtito a Tribunis & Vicariis & domeſticis, & Actuariis, & optionibus, a quibus etiam juſjurandum dederint, ratio poſtea nihilominus, & ſi qua in re pejeraſſe inventi fuerint, duplum exigetur. Sed & ſi milites adærari ſibi velint annonas, eandem in pretio rationem menſæ ſervari: ſi ſpecies dari, ut eas accipiant quas regio parit, arbitrio religioſiſſimi Epiſcopi & Clariſſimi Defenſoris Civitatis. Rurſus ſi Actuarius a milite emerit annonas ejus, & eas accipiat a collatore quaſi ſibi conceſſas rationem menſæ ſervari, niſi malit collator ſpecies ipſas inferre. At ſi velint ſua ſponte collatores vendere quædam militibus, id non prohibemus, etiamſi ex eo lucrum factum ſint, minorem ſpecierum quantitatem præbentes, quam exigat ratio menſæ publicæ. Nec tamen ea propter liceat civibus lædere collatorem, puta ſi curia ſive civitas cum milite perperam conventionem ineant præbendarum ſpecierum, ne cogatur collator ſecundum eam conventionem ſpecies inferre. Quia vero plerique ex chartulariis fortiſſimorum numerorum, vel fœderatorum coemunt ſibi frumentum, pretia a fiſco accipientes juxta nundinationem, quæ menſa continetur, ſibi autem quod jam ante comparatas ſpecies retinentes, ideo jubet conſtitutio, ne quis collator invitus eorum coemptioni parere cogetur. Sed ſi quis ſua ſponte eis vendere velit, ne excedant illi pretia menſæ in quantitate ea, quæ annonarum nomine militibus præbenda eſt. Nam etiam extrinſecus quantitatem ſpecierum eo pretio emere prohibentur ſicut milites. Quæ omnia demonſtrabit futura retractatio, qua quantum apparuerit ſibi quemque vindicaſſe, in tantum damnabitur in duplum, ita ut ſimplum fiſcus habeat, ſimplum actor. Omnibus quoque militibus perſonis quibuſdam deputatis ſecundum rationem menſæ adærentur [41] annonæ, & capita [42], nec petantur ſpecies, niſi a volente: eo, qui quid ante dictorum temerare auſus fuerit, maximum periculum ſubituro, ſive tribunus ſit, ſive vicarius, aut domeſticus, aut actuarius [43], aut optio, aut numeri princeps, aut officialis magiſtri militum: ſi quid horum contigerit non bona fide tractari, & id confeſtim mi-

1 Fœneratoria negotiatio eſt, *ut hic*: & quidem licita. *Novell.* 106. adde Molinæum *tract. de uſuris*, *numer.* 58. Idem ibidem *num.* 105. negat agi hic de negotiatione univerſali, vel mercabili quæſtuaria militantibus prohibita, *tit.* s. *negotiatores ne militent*: ſed de negotiatione particulari eorum, quorum milites egent in expeditione, puta pro emendis ſagis, equis, victu & hujuſmodi neceſſariis. Et prohibetur actuarius cum eis contrahere, antequam eis debitum ſtipendium integre perſolverit: quo in manus militum perſoluto, poteſt eis vendere res neceſſarias, imo mutuum dare ſub uſuris legitimis: ita tamen, ut ſtatim atque trientem ſortis æquaverint, ceſſent, neque poſſint ulterius currere. *Hæc ille, apud quem ibidem plura vide.* 2 Actuario permittitur negotiari cum militibus, ita ut in ſingulos ſolidos, amplius, quam unum tremiſſem, pro quocunque temporis ſpatio accipere non poſſit, ſed minus tremiſſe: unde colligitur, uſuræ cumulum non poſſe in fine cujuſque, ſive brevis, ſive prolixi temporis, tertiam partem ſortis excedere, ſed J. tantum ſubſidere. Molinæus *de uſur. quæſt.* 4. *num.* 105. ubi notat, uſuræ duos eſſe ſupremos gradus. Primum in quantitate, pro rata cujuſcunque menſis, vel alterius certi temporis ſucceſſive currentis, cujus quantitas non ſit uniformis, ſed diverſos habeat gradus. Alterum eſſe in cumulo ſeu totali ſumma & periodo, ſeu ſine finiente: in quo nulli ſint gradus, ſed unicus & idem terminus uniformis, & eadem periodus, quæ hoc caſu noſtro fallat. 3 Tremis tertia pars ſolidi: ut ſemis, dimidia. Ita Alexander Severus tributa ab Heliogabalo impoſita ad triceſimam partem reduxit. Ita ut, qui decem aureos ſub Heliogabalo pendebat, tertiam aurei præſtaret: tumque primum ſemiſſes & tremiſſes formati. 4 Principibus. 5 *In vet. lib.* additur negatio, *non* & Cujac. ex Græcis negative legendum exiſtimat. 6 Obtinentem. 7 Abſunt a *quibuſd. lib.* al. *tales pecunias.* 8 *Al. deeſt.* 9 Teneri. 10 Al. *offerendo.* 11 Pro commeatu. 12 Rationis. 13 Abeſt a *quibuſd. lib.* 14 Diſcedat. 15 Vero. 16 Erogationis factæ geſta confici teſtato debent, decem principiorum primatibus & capite ſcholarum (ſi ſcholaribus facta ſit erogatio) deponente, de manu in manum factam eſſe erogationem. adde quæ ſcripſi ad *Novell. Leonis* 41. 17 Primates principiorum. 18 Caput ſcholæ. Ammian. 25. 19 Militum. 20 Factus. 21 Al. a. al. *utrumque abeſt.* 22 Facienda. 23 Erogatoris militaris annonæ mora ſi damnum militi contigerit, ob contractum ſive pactionem habitam cum actuario, erogator ipſe id agnoſcere debet. 24 Procuraverit. 25 Apparitoris. 26 Qui. 27 Eorum. 28 Abſunt a pleriſque lib. 29 *Comitatum*, emendat Cujacius ex Græcis & Latinis, *manuſcr.* 30 Milite mortuo erogator debitum ſtipendium uxori & liberis defuncti perſolvere tenetur, ut *l.* 14. s. *h. t.* Quæri poteſt, cur non totius anni, ut alias fit. *l.* 4. s. *de domeſticis & protectorib. h. l. tit.* 17. Cujacius putat, ideo conſtitutum, quod militibus ſtipendia in annos non conſtituerunt, ſed ut quiſque militiæ onus ſubiiſſet. Poteſt & hoc adjici, rem in infinitum abituram fuiſſe, ſi in tanta militum multitudine id fuiſſet admiſſum. 31 *l.* 14. *in fin.* s. *h. t.* 32 Militibus nonnunquam utebantur ad certas perſonas cuſtodiendas, imo & curias, corpora, eccleſias, *ut hic.* 33 Abſunt a *quibuſd. lib. manuſcr.* 34 Al. *capitulum.* & J. *cap. præbendo.* 35 Militibus cuſtodiæ, certæ perſonæ, eccleſiæ, curiæ, vel certi corporis, deputatis, conſuetas annonas & capita princeps ipſe præſtat: id quod amplius militibus neceſſarium eſſe poteſt, præſtant illi ipſi, qui a militibus cuſtodiuntur. 36 Deceſſerint. 37 Milites tuitionis, vel ex alia cauſa deputari non poſſunt, ſine principis juſſu. 38 Eam de. 39 Pro ſua deſidia. 40 Adæratio ſpecierum (ἐξαργυρισμὸς) quæ primipilari præbentur, ſecundum aliarum ſpecierum venditionem fiat: hoc eſt ſecundum rationem menſæ: vel potius accipiendum eſt, hoc fieri debere, prout fori ratio poſtulat. *Synopſ. Baſil.* 46. *tit.* 17. περὶ ἐξαργυρισμοῦ. 41 Adærare eſt pretio munus redimere. 42 Capita, pabula equorum s. *de annonis & capit.* 43 Actuarius jungitur optioni. ut *l.* 9. s. *h. t. l.* 3. *ſupr. de apochis publ. l.* 10. *tit.* 22. *Nov. Marciani de ind. deb.* ut & annonario, *l.* 3. *C. Theod. de numerariis.* ſubſcribendarius dicitur in *l.* 1. *C. Theod. de apochis.*

nime

nime denuntiaverit. Retractatio enim quicquid adverſus conſtitutionem acciderit, coarguet, & judicabit.

TIT. XXXIX.

DE [1] EXCOCTIONE [2], ET TRANSLATIONE [3] MILITARIUM ANNONARUM.

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Stilichoni Com. & Magiſt. utriuſque militiæ.

OPinatores [4] quibus ſpecies in diverſis provinciis delegantur contra omnem conſuetudinem a nullis conſiſtentibus familiis [5] excoctionem panis efflagitent. Illuſtris igitur auctoritas tua novam uſurpationem congrua auctoritate repellat: ut cum opinatores in provincias delegantur, vetus conſuetudo ſervetur. Dat. Id. Septembr. *Mediolan.* THEOD. V. C. CONS. 399.

Ab excoctione panis nulla domus, etiam principis, excuſatur. Bart.

2. Iidem AA. [6] Adriano P. P.

IN [7] excoctione buccellati, quod devotiſſimis militibus convenit præparari, in tranſlatione etiam annonæ, nullius excipiatur perſona: videlicet ut nec noſtra quidem domus ab his habeatur immunis. Et ſi quiſquam (quod non opinamur) implere quæ ſunt præcepta, neglexerit, in procuratorem ejus ſeveriſſime vindicetur: ita ut ſi hujuſmodi contumaciæ dominum [conſcium] eſſe conſtiterit, quadruplum id, quod pro ejus capitatione poſcitur, poſthabita dilatione ſolvetur [8]. Dat. 9. Kal. April. *Romæ*, HONORIO A. VI. & ARISTENETO CONSS. 404.

TIT. XL.

DE [9] MILITARI VESTE.

Canonem veſtium a Kalend. Septemb. uſque ad Kalend. April. reſpubl. ſolvet. Bart.

1. Impp. VALENT. & VALENS AA. Auxonio P. P.

OMnem [10] canonem veſtium [11] ex Kalendis Septembris [12] ad Kalendas Aprilis noſtris largitionibus tradi præcipimus: propoſita pœna Rectori provinciæ, vel ejus officio, condemnationis quæ [tuæ] juſtitiæ videbitur. Dat. 14. Kal. Decembr. *Martianop.* VALENTINIANO, & VALENTE CONSS. 365.

2. Imppp. VALENS, GRAT. & VALENT. AAA. Modeſto P. P.

PRovinciæ [13] Thraciarum [14] per xx. [15] juga ſeu capita conferant veſtem. Scythia, & Myſia [16] in xxx. jugis [17] ſeu capitibus interim annua ſolutione dependant: per Ægyptum & Orientis partes in [18] trecenis ternis jugis: per Aſianam vero, & Ponticam diœceſim ad eundem numerum in capitibus, ſeu jugis annuæ veſtis collatio dependatur: ita ut per Orientem [19] Provinciæ in titulo auri comparatitii, quod per jugationem redditur, compenſationis gratia perfruantur: exceptis [20] Oſroëna & Iſauria: nam eas demum conſtat aurum comparatitium minime debere [21]. Dat. 5. Id. Aug. *Hierapoli*, GRATIANO A. IV. & MEROBAUDE V. C. CONSS. 377.

Ad veſtem militis non præſtabuntur bini tremiſſes, ſed unus ſolidus. Bartol.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Martiano Com. S. L.

FOrtiſſimis [22] militibus noſtris per Illyricum non binos tremiſſes pro ſingulis chlamydibus, ſed ſingulos [23] ſolidos dari præcipimus. Dat. 16. Kal. Febr. CP. ARCADIO IV. & HONORIO III. AA. CONSS. 396.

4. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Aſclepiodoto P. P.

MIlitaris [24] adæratio veſtis a collatoribus exigatur [25], ſacratiſſimis videlicet largitionibus inferenda, ita ut quinque ejus partes fortiſſimis militibus erogentur in pretio: ſexta vero portio a gynæciariis clementiæ noſtræ abſque ulla, vel ipſorum, vel publica incommoditate, pro eadem contextione ſuſcepta, minoribus [26] gregariiſque militibus in ipſa quam maxime eos deſiderare conſtiterit, ſpecie [27] præbeatur. Datum 7. Id. Mart. CP. ASCLEPIODOTO, & MARINIANO CONSS. 423.

TIT. XLI.

DE [28] METATIS [29] ET EPIDEMETICIS [30].

1. Imppp. VALENT. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAAA. Theodoro Magiſt. offic.

SI quis metatorum noſtrorum manum qua deputatas ſingulas quibuſque domus denotant, & poſtibus hoſpitaturi nomen adſcribunt, delere non dubitaverit: ad inſtar falſi reus [31], conſtituti hujus auctoritate teneatur. Dat. 6. Kalend. Novembr. CP. D. N. THEODOSIO A. III. & ABUNDANTIO V. C. CONSS. 395.

2. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Oſio Magiſt. offic.

IN [32] qualibet vel nos ipſi urbe fuerimus, vel [in] qua hi, qui nobis militant, commorentur: omnium tam metatorum, quam etiam hoſpitum iniquitate ſummota duas dominus propriæ domus, tertia hoſpiti deputata, eatenus intrepidus ac ſecurus poſſideat portiones, ut in tres domo [33] diviſa partes, primam [34] eligendi dominus habeat facultatem: ſecundam hoſpes quam voluerit exequatur: tertia domino relinquenda. Plenum enim æquitate atque juſtitia eſt, ut qui aut ſucceſſione fruitur, aut emptione [35], vel extructione gaudet, electam præcipue judicio ſuam partem teneat & relictam. † Ergaſteria vero quæ mercimoniis deputantur, ad prædictam diviſionis injuriam non vocentur, ſed quieta ſint, & libera: & ab omni hoſpitum injuria defenſata, ſolis dominis conductoribuſque deſerviant. Sane ſi ſtabulum (ut adſolet) militari viro in tertia domus parte defuerit [36]: ex ergaſteriis (niſi id dominus qualibet occaſione providerit) pro animalium numero, vel domus qualitate deputabitur. † Illuſtribus ſane viris non tertiam partem domus ſed dimidiam [37] hoſpitalitatis gratia deputari decernimus: ea duntaxat conditione obſervata, ut alter ex his, (ſi libet [38], atque maluerit) diviſionem arbitraria æquitate faciat, [& [39]] alter eligendi habeat optionem. & firmiſſimum perpetuo, quod juſſimus perſeveret: ita ut triginta librarum [40] auri, qui illuſtriſſima ſunt præditi dignitate, fiſco noſtro ſe [pœnam] illaturos eſſe cognoſcant: cæteri vero militia ſciant [ſe [41]] eſſe privandos, ſi generale præceptum amplius uſurpando quam juſſimus, reprehenſibili temeritate violaverint. Dat. 8. Id. Febr. CP. HONORIO IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

3. Iidem AA. Vincentio P. P.

CUnctos Judices ſcire volumus, a [42] prætoriis ordinariorum judicum his præſentibus abſtinendum. Dat. 16. Kal. Febr. *Mediolani*, STILICHONE & AURELIANO VV. CC. CONSS. 400.

4. Iidem AA. Æmiliano Mag. offic.

FAbricenſium [43] domibus ubicumque [44] conſtitutis omnem moleſtiam hoſpitum præcipimus amoveri: quod & Antiochenſibus, & cæterarum civitatum fabricis ſimilis domorum excuſatio præbeatur, abſente ſcilicet ſacro comitatu. Dat. [45] 2. Kal. Febr. CP. STILICHONE CONS. 400.

5. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Joanni P. P.

DEvotum poſſeſſorem ab omni inquietudine liberamus. Primo igitur omnium ad nullum prædium publicum, vel privatum domus noſtræ, vel cujuſcunque [46] juris ullus [47] metator accedat, ſi a quoquam fuerit deſtinatus. Licentiam [48] enim domino, actori, ipſique plebi ſerenitas noſtra commiſit, ut eum, qui præparandi gratia ad poſſeſſionem venerit, expellendi [49] habeat facultatem, nec crimen aliquod pertimeſcat: cum ſibi arbitrium ultionis ſuæ ſciat eſſe conceſſum: recteque ſacrilegum prior arceat, qui primus invenit. Adminiſtrantem vero, ejuſque officii proceres, quorum præceptio [50] inhibitam perſonam ad agrum aliquem deſtinaverit, in tempus [51] proſcribi debere cenſuimus [52]. † Solam ſane hoſpitalitatem ſub hac obſervatione concedimus, ut nihil [53] ab hoſpite quod vel hominum vel animalium paſcuis neceſſarium creditur, poſtuletur: omniumque ſit acceleratum iter atque continuum, nec ulli liceat reſidere [54]: ne diuturnitas commanentium ulla ex parte prædium vexet. Decem etiam librarum auri multa ferietur, quiſquis adminiſtrator, rogator [55], apparitor [ve [56]] ullus, militans ſcilicet, vel iter [57] agens ullo in loco aliquid ab hoſpite poſtulaverit. In tantum enim inhiberi ſceleratum morem jubemus, ut ipſis quoque præbentibus impunitum eſſe non patiamur, ſi quid [58] ſponte contra præceptum noſtrum probati fuerint obtuliſſe. Datum prid. Id. Jun. *Ravennæ*, poſt conſulatum HONORII IX. & THEOD. V. AA. 414.

1 *L.* 7. *C. Theod.* 5. 2 *Exactione*, al. *executione.* 3 Collatione. 4 Optiones. *Goth.* Opinatores exigunt annonam militarem vel imminent judicibus. *l.* 11. *ſupr. tit. prox.* Excoctionem panis non exigunt, ubi familiæ nullæ conſiſtunt. *Mod.* 5 Al. *famulis.* 6 *Al.* Et Theodoſius A. 7 *l.* 2. *C. Th. h. t.* 8 Solvatur.

9 *L.* 7. *C. Theod.* 6. 10 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* 11 Omnes res ſuas obligantem, veſtes ſuas non obligare hinc colligit Ripenſis ad *l.* 6. *ff. de pign. & hypoth.* 12 Indictiones incipiunt a menſe Septembri, *ut hic & l. ult. in fin. ſupr. de annonis & tributis. l.* 10. *t.* 16. *Novell.* 128. *in pr.* 13 *l.* 3. *C. Th. h. t. l.* 1. *ſupr. ut nemo ad ſuum patrocinium. l.* 11. *t.* 53. 14 Tarſiarum, *Pyrrhus.* al. *Daciarum.* 15 Al. *tricena.* al. *quinquagena*: *ut notat Azo hic.* Cont. 16 *Mœſia.* Alc. 17 Juga capita, *l.* 2. *verſ. At cum ex mandato. ſupr. ut nemini liceat in coëmptione ſpecierum. l.* 10. *tit.* 27. 18 In 30. terrenis jugis. 19 Orientis provinciam. 20 *In quibuſd. lib. Oſtroënatis*, & *Oſdrohenia.* Alciat. *Orthodoſſa natis*, vel *Oſtroena natis*, hic legit. verum excuſa lectio rectiſſima eſt, & *lib. manuſc.* confirmatur. 21 Redhibere. 22 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 23 Singulis. 24 *l.* 5. *C. Theod. h. t.* 25 Adæratio veſtis largitionibus ſacris infertur ut *l.* 1. *ſupr.* ita ut quinque ejus partes militibus erogentur in nummis, ſexta in veſtibus a gynæciariis præſtetur junioribus gregariiſque, id eſt, tyronibus. & addunt Græci rationem τούτους γὰρ οὐ δεῖ πιστεύεσθαι ἀργύρια. ſic autem tyro & gregarius miles pro eodem etiam ponuntur, ut & juniores ſæpe in Cod. Theod. qui & caligati. Cedrenus tamen ait juniores eſſe inſtitutos ſcholares a Junio Balbo patre Gordiani. *Mod.* 26 Al. *junioribus.* 27 Species hic pro veſte accipitur, *ut l.* 2. *ſupr. de murilegulis. l.* 11. *tit.* 7. *l.* 4. *ſupr. de veſtibus holoveris. l.* 11. *tit.* 8.

28 *L.* 7. *C. Theod.* 8. περὶ μετάτων ἤτοι ἀπλήκτων &c. De metatis ſeu hoſpitiis, & quinam eis præbendis obnoxii non ſint. *Synopſ. Baſil. lib.* 57. *tit.* 12. *cap.* 2. 29 *Metata* ſunt hoſpitia, quæ ſupervenientibus militibus, vel aliis perſonis provinciales præbent. al. *metatoribus*: dicuntur autem *metatores*, qui eligendi & præparandi hoſpitii cauſa præcurrunt. 30 Epidemetica ſunt pretia, quibus ſe redimunt ab onere hoſpitum ſuſcipiendorum. *Novell.* 130. Roland. a Valle 1. *conſ.* 66. *num.* 1. Quidam legunt, *epimetaticis*, al. *epidimeticis.* vid. *hic* Alciat. 31 Reus ex hac. 32 Quælibet domus, quæ metatum (μετάτον) præſtare debet, in tres partes dividatur: ac partem quidem unam dominus ad manſionem ſuam eligat, alteram, quam volet, miles accipiat: tertia quæ reſtat, domino relinquatur: officinæ vero adhærentes ædibus (παροικικὰ τὰ παρακείμενα τῇ οἰκίᾳ) a metatis immunes ſunt: niſi forte miles in electa a ſe parte tertia ſtabulum non habeat. Tunc enim undecunque dominus ſtabulum præbere debet, aut ſi nullum habeat, ex adhærentibus officinis deputet: non quale omnino ipſe miles requirit, ſed quale numerus animalium, quæ ſecum miles adducit, poſtulat. Et ea quidem lex eſt metatorum militibus præſtandorum. Nam illuſtribus, quibus metatum parandum eſt, non tertia pars domus, ſed dimidia concedenda: domino quidem ædium diviſionem faciente, altero vero eligente. Quod ſi quis majorem ædium partem prætextu metati occupaverit, illuſtris quidem triginta libris auri multetur: miles autem militia privetur. *Synopſ. Baſil.* 57. *tit.* 12. *c.* 2. 33 Ut in tres domus diviſæ partes. 34 In metatis principales ædium partes dominis reſervandæ. adde *Novell.* 130. 35 Empto. 36 Al. *additur id.* 37 Mediam. 38 Quilibet, quive maluerit. 39 *Al. deeſt.* 40 Libras. 41 *Al. deeſt.* 42 Vide *l.* 14. *ſupr. de offic. rector. provinc.* 43 Metatis non ſunt obnoxiæ domus deputatorum fabricenſium (ὁπλοποιῶν) ubicunque ſint. *Syn. Baſ. h. t. c.* 4. adde 2. Harmen. 5. §. 9. 44 *Ubique* ſic uſurpatur in *l. urbana.* 166. *ff. de verb. ſignif.* 45 *Al.* 11. 46 Cujuſque. 47 Nullus. 48 *l.* 4. *ſupr. de jure fiſci*, *l.* 2. *ſupr. de diſcuſſoribus l.* 10. *tit.* 30. *l.* 5. *infr. de executoribus. h. l. tit.* 61. 49 Metatori, *ut hic*, ut & alias officiali injuſte exequenti, licet ipſis privatis reſiſtere, & eos repellere, dixi ad *l.* 5. *infr. de executorib. h. l. t.* 61. 50 Præcepto. 51 Tempore. 52 Recenſuimus. 53 *l.* 6. *infr. h. t. l. unic. infr. tit. prox.* 54 Poſſidere. 55 Erogator. al. *rogatus.* Cuj. emendat, *togatus*: & ſic legitur in *lib. Aured.* id eſt, patronus cauſarum. 56 Al. abeſt *ve*: & poſt *ullus*, adjicitur, *vel.* 57 Mavult Cujac. *inter.* 58 Qui, al. *quis.*

6. Iidem

6. Iidem AA. Adriano Procur. Africæ.

HOc proſpectum eſt, ut [1] infauſta [2] hoſpitalitatis præbitio tolleretur: nec balneum [3] quisquam a domino ædium poſtulet. Dat. 5. Non. Mart. *Ravennæ*, CONSTANTIO & CONSTANTE CONSS. 414.

7. Iidem AA. Euſtathio P. P.

DEvotiſſimos milites ex procinctu redeuntes, vel proficiſcentes ad bella, muri [4] ſacratiſſimæ Urbis ſingulæ turres in pedeplanis [5] ſuis ſuſcipiant. Dat. 5. Non. Mart. CP. HONORIO XIII. & THEODOSIO X. AA. CONSS. 422.

Medici ſacri palatii, & Urbis Romæ Magiſtri liberalium artium, & pictores ingenui, quoad vivunt, ſunt immunes ab onere hoſpitandi.

8. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Helioni Magiſt. offic.

ARchiatros [6] noſtri palatii, necnon [7] Urbis Romæ, & Magiſtros literarum, pro neceſſariis artibus, vel liberalibus diſciplinis, necnon picturæ Profeſſores (ſi modo ingenui ſunt) hoſpitali [8] moleſtia, quoad vivent, liberari præcipimus. Dat. 14. Kalend. Septembr. HIERIO & ARDABURE CONSS. 427.

9. Iidem AA. Nomo [9] P. Magiſt. offic.

OMnes [10], qui metata [11] in ſuis domibus præſtant [12], ſive hoſpitia præbuerint metatoribus, ſive quolibet pacto ſatis eis fecerint, nullam vel penſionis vel diſcuſſionis domus gratia moleſtiam ſuſtinere cogantur. Deinde [13] neminem volumus cujuslibet loci, vel ordinis in hac florentiſſima urbe domum propriam, excuſantem metatum ſibi in alienis ædibus privilegio militiæ vindicare: quod & in provinciis obſervari oportet: cæteris [14] vero, quibus illuſtris dignitas ſub cingulo vel citra cingulum pro [15] ſuo ſolo honore delata eſt, excuſandarum ædium licentiam penitus denegamus. Hoc juris etiam in his præcipimus obſervari, quos ipſa quidem adminiſtrationis conditio ſpectabiles novit: honor tamen additus a noſtra liberalitate reddit illuſtres: Scituris omnibus quod ſi quis cum cingulo perfruatur, & excuſationem [ita] propriæ domus impetraverit, ut a penſione etiam portionis tertiæ ſit immunis, & militiæ cauſa metatum [in [16]] alienis domibus ſibi crediderit vindicandum: ſi quidem honore præditus excuſationis jus habeat, carebit legum privilegiis, quas fraudare conatus eſt. Si vero inter eos, quibus nulla ſuffragatur dignitas, numeretur, centum [17] librarum auri ſacratiſſimis largitionibus pendendarum illatione multabitur. Datum 17. Kalend. Februar. *Conſtantinop.* THEODOS. A. CONS. [18].

10. Impp. VALENT. & MARTIAN. AA.

HAc [19] lege ſancimus, ut ſi quis Conſularem ac Patriciam meruerit dignitatem, tres domos proprias dum ſupereſt, habeat hoſpitum immunitate ſecuras, heredes vero ejus filii, aut pater, aut mater, nepotes, aut frater, aut ſoror, aut uxor, duarum domorum ſuarum excuſatione potiantur. † Si quis vero Conſulatu [20] tantummodo gloriatur, duas ſemis domos [ſuas [21]] immunes habeat: poſt fata vero ejus memorati heredes unam ſemis domum ſuam habeant nullis hoſpitiis prægravatam. † Pari Privilegio perfruatur cum memoratis heredibus, qui ſolius patriciæ dignitatis ſine conſulatu decoratur inſignibus. † Præfectorii vero, necnon & magiſtri militum duas domos ſuas habeant, quoad vixerint hoſpitibus liberatas. Heredes vero eorum memorati unam defendant domum ſuam ſimili excuſatione munitam. † Magiſtri vero officiorum, vel quæſtores unam ſemis domum ſuam quoad vixerint, habeant hoſpitum onere liberatam. Heredes vero eorum prædicti unam ab hoſpitibus jure defendant. † Comites autem domeſticorum, & protectorum, & ſacrarum largitionum, [& rerum privatarum,] & Vir Spectabilis Primicerius [22] Notariorum, ſingulas domos ſuas ab hoſpitum gravamine, dum vivunt, gaudeant eſſe ſecuras. Memorati vero heredes eorum mediam partem unius domus ſuæ ſciant excuſatione muniri: reſiduæ vero partis dimidiæ tertiam portionem hoſpitibus deputandam eſſe cognoſcant. † Si qui [23] illuſtres honorarias dignitates quascunque ſine actu cœlitus impetraverunt, æquo animo ſuas domus hoſpitibus poſt hanc legem pendant pro tertia, quæ legibus præfinita eſt, portione: exceptis videlicet ergaſteriis, quæ in plateis vel angiportis [24] eſſe noſcuntur, quod in omnibus domibus quæ hoſpitales ſunt, obſervari jubemus, ita ut nemo vel ex ſacro reſcripto, vel ex divina annotatione, ſeu pragmatica ſanctione contra hanc legem uti poſſit excuſationis auxilio: his omnibus, quæ per hanc legem conſtituimus, in hac æterna urbe obſervandis.

11. Imp. ZENO [25] A.

DEcem poſt Primicerium tribunos in domibus, quas in hac regia urbe poſſident, metatorum juſſimus vacationem mereri.

12.

NEquid Præſes dum [26] per Provinciam oberrat, hac ſpecie exigat a Provincialibus, ne illos hoſpitio gravet, vel ut eis habere arma concedat. Qui ſecus fecerit, ut dignitate, bonisque ademptis exilio perpetuo damnetur [27].

TIT. XLII.

DE [28] SALGAMO [29] HOSPITIBUS NON PRÆSTANDO [30].

1. Imp. CONSTANTINUS [31] A.

NE [32] quis [33] Comitum, vel Tribunorum, aut Præpoſitorum, aut militum nomine, ſalgami gratia, culcitras, lignum, oleum a ſuis extorqueat hoſpitibus, ſed nec voluntate hoſpitibus in prædictis ſpeciebus aliquid auferat: ſed ſint provinciales noſtri ab hac præbitione ſecuri: comitibus, tribunis, vel certe præpoſitis, militibusque gravi vexationi ſubjacentibus. Dat. 5. Id. Octobr. *

TIT. XLIII.

DE [34] COMMEATU [35].

Tempore expeditionis nullus militibus commeatus dare poteſt: contra faciens capite punitur. Bart.

1. Impp. CONSTANT. & CONSTANS [36] AA. Leontio P. P.

NE [37] cui liceat Præpoſitorum, vel Tribunorum cohortium, vel vicariorum, & familiarium eorum [38] tempore expeditionis quocunque genere cuiquam de militibus a caſtris, atque ſignis, vel his etiam locis, in quibus [39] prætendunt [40], diſcedendi commeatum dare. Si quis vero contra hanc legem facere auſus fuerit, & militem contra interdictum commeatum dimiſerit, aut Barbarorum incurſio [41] extiterit, & tunc cum præſentes in caſtris, atque apud ſigna milites eſſe debeant, quisquam auferat: capite vindicetur. Dat. 4. Kal. Maji, SEVERO, & RUFINO CONSS. 323.

2. Imppp. GRAT. VALENT. & THEODOS. AAA. Syagrio Mag. offic.

QUicunque [42] de Scriniis, aut Agentibus in rebus, vel etiam ex Palatinis, his videlicet, qui ſacrarum [43], & privatarum remunerationum comitibus obſecundant [44], ſex [45] menſium ſpatium ſupra [46] diem commeatus, ut juſſionem evectionis abfuerit: is in inferiorem locum quinque antelatis poſterioribus devolvatur. Is vero [47], qui anni [48] vacationem [49] arbitratu proprio, judicarii præcepti oblitus aſſumpſerit, a decem poſt ſe militantibus transferatur [50]: ac deinde cum jam aliquis deſidia quadriennio officium proprium adire neglexerit, quadriennii propoſita ſeveritate perferatur. Qui vero nec [51] poſt quadriennii quidem tempus [52]: militationis non immerito matriculis auferatur. Dat. Kal. Oct. AUXONIO, & OLYBRIO CONSS. 379.

Qui ſine commeatu biennio, aut triennio, vel quadriennio vacaverit, modo hic inſcripto punitur. Bart.

3. Impp. [53] HONOR. & THEOD. AA. Hauſoni Com. & Mag. militum.

SI quis ſine commeatu aliquo annum in penatibus [54] propriis, vel in quibuslibet locis deſidioſa quiete tranſegerit, decem ſequentibus poſtponatur: in quo vero biennalis [55] culpa deprehenditur, viginti ſibi antepoſitos congemiſcat: tertius autem annus triginta prælatos jure deflebit: ita ut quartus exempto matriculæ nullam veniam derelinquat. Dat. Prid. Id. Jun. *Rav.* poſt conſulatum HONORII VIII. & THEOD. V. AA. 413.

TIT. XLIV.

DE [56] TYRONIBUS.

1. Impp. VALENT. & THEOD. AA. Modeſto P. P.

NUllus [57] tyro [58] vagus, aut veteranus, aut cenſibus obnoxius, ad militiam accedat. Datum 14. Kalend. Octobr. *Hierapoli*, VALENTE & VALENTIN. III. AA. CONSS. 380.

1 Al. *ne infauſta hoſpitalitatis præbitio tolleretur*, Hal. Eſt vero infauſta hoſpitalitatis meretricum præbitio: ſolebant interdum milites ſcortum a ſuis hoſpitibus exigere. 2 Infanda. 3 Quod & privatum. dixi ad *l.* 13. *C. Theod. h. t. &* 2. Harmen. 4. §. 23. adde Cujac. 9. *obſerv.* 2. 4 Scilicet novi: a Theodoſio juniore conſtructi, de quibus *Nov.* 59. *c.* 5. *l.* 18. *ſupr. de operib. public.* 5 Ἐπιπέδοις. Ita milites olim in media urbe non hoſpitabantur. 6 A metatis ſunt immunes, tantiſper dum vivunt, Archiatri palatii & urbis Romæ, magiſtri literarum (γραμμάτων διδάσκαλοι) pro vere neceſſariis artibus & liberalibus diſciplinis: ut & picturæ profeſſores, ſi modo ingenui ſunt. *Synopſ. h. t. c.* 1. *&* 2. Harm. 5. §. 9. 7 Archiatrorum alii ſacri palatii, alii urbis Romæ. adde *l.* 2. *§. quibus non objicitur longi temp.* vide Hieronymum Mercurialem 4. *Variar.* 1. 8 Hoſpitalitatis. 9 Numo. 10 *Ex Nov. Theod. quam integram edidit Pithœus.* 11 Al. *metatum*, id eſt, diverſorium: & ita accipitur *lib.* 4. *c.* 25. *eccleſiaſt. hiſt.* ſed excuſa lectio extat in *Nov. Theod.* 12 *Al.* additur, *ſive officia.* 13 Metatum in alienis ædibus ſub prætextu militiæ vindicare, nemo cujuslibet gradus aut conditionis poteſt: ſive in urbe Conſtantinopoli, ſive in provinciis. Quin illuſtres excuſationem a metatis non habent, εἴ τε ἄζωστοι εἰσὶν, εἴτε ζωστοὶ, ſive cum cingulo, ſive extra cingulum ſint, ac ſi ille privilegium a metatis impetraverit, privilegio privabitur, ἰδιώτης privatus, centum auri libras ſacris theſauris inferre cogitur. *Syn. h. t. c.* 9. 14 *l.* 10. §. *ult. infr. h. t.* 15 Abeſt *ſuo*, *a Novell. Theod.* in al. deeſt, *ſolo.* 16 Abeſt a *quibusd. lib.* ſed extat in *Nov. Theod.* 17 *Centenarum*, *in Nov. Theod.* 18 Sic legitur in *Novell. Theod. ſed in lib. Cujac.* Theod. & Valentiniano AA. Conſſ. 19 A metatis excuſandarum ædium is modus eſt: ut qui conſularis & patricius factus ſit, tres domos ſuas a metatis excuſet, dum ſupereſt: heredes ipſius (ſive filii ſuccedant, ſive pater, ſive mater, ſive nepotes, ſive fratres, ſive ſorores, ſive uxor) domos duas, *ut hic.* Conſularis tantum, duas ſemis tantum, heredes ejus unam ſemis. *verſ. ſi quis vero* Patricius tantum, idem privilegium habebit. *verſ. pari.* Præfectorii & magiſtri militum duas: ipſorum heredes, unam. *verſ. præfectorii.* Magiſtri officiorum ſeu quæſtores, una ſemis. *verſ. magiſtri.* Comites domeſticorum, protectorum, largitionum (πραγωχῶν) rerum privatarum, primicerii notariorum, ſinguli unam domum, heredes ipſorum, dimidiam: ut reſiduæ dimidiæ partis portionem metato præbeant. *verſ. Comites.* Illuſtres vero in actu nullo conſtituti, ſed honoraria dignitate duntaxat ornati, nullam: exceptis eorum ergaſteriis, quæ in plateis, vel angiportis ſunt. *verſ. ſi qui illuſtres.* Nullus autem, vel ex ſacro reſcripto, vel ex pragmatica ſanctione ſemet a metatis excuſet. *verſ. ita ut nemo. Synopſ. ibid. cap.* 10. 20 Conſulatum. 21 *Abeſt a quibusd. lib.* 22 Et primicerius. 23 *l.* 9. *verſ. cæteris. ſupr. h. t.* 24 Ἐν τοῖς στενορύμοις. *Synopſis.* 25 *Al.* Leo. 26 Id ἐπιδημητικὸν Græci *Novell.* 134. *c.* 1. dixi ad *l.* 7. *ſupr. de erogat. militaris annonæ. h. l. tit.* 38. 27 Abrogantur ergo epidemetica, & occaſione ἀφοπλισμοῦ id eſt, ne privatis auferantur arma, exactiones, *in Novell.* 8. ἀφοπλιστὰς vocat, qui privatis hominibus habere arma non concedunt. Fit autem hujus conſtitutionis mentio *l.* 26. *§. de epiſc. aud.* Mod. 28 *L.* 7. *C. Th.* 9. 29 *Salgami* appellatione ſignificantur eſculenta, quæ ad condiendum valent. Et hic ſane culcitræ, lignum, oleum numeratur. Hujus vocis etiam meminit & Columella. *Goth.* Vide Cœl. Rodigin. *Antiq. lect. lib.* 30. *cap.* 10 & Alciat. *hic.* Anſ. Adde Forcatul. *in penu juris cap.* 20. Mod. 30 Præbendo. 31 *Al.* Conſtans AA. Leontio P. P. 32 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* Milites ſtipendiis ſuis contenti eſſe debent, quod & Scriptura quoque jubet, ac ut ſint, quod eſſe debent, Reipubl. defenſores & populi: non autem, quod eſſe ſolent, prædones, vetat Conſtantinus milites a ſuis hoſpitibus exigere, ſalgami nomine, culcitram, oleum, lignum. adde Forcatulum *c.* 20. Penus. *l.* 5. *verſ. ſolam. tit. proxim.* adde Roland. a Valle 1. *conſ.* 66. *num.* 4. *&* 9. 33 Qui. 34 *L.* 7. *C. Th.* 12. 35 Commeatus eſt abeundi licentia, data militi ad tempus. Cuj. *hic l. unic. ſupr. in quib. cauſis militantes for. præſcript. uti non poſſunt. l.* 1. *l.* 14. *ff. de re militari.* vide Feſtum *in Remeare*, *l.* 2. *in fin. ff. ad municipalem.* 36 *Al.* Conſtantinus A. *al.* Arcad. & Honor. AA. 37 *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 38 Adde *l.* 12. §. 2. *ff. de re militari.* 39 *Quibus*, & deeſt in *C. Theod.* 40 Prætendatur. 41 Excurſio. 42 *l.* 2. *C. Th. h. t.* 43 Comes ſacrarum & privatarum remunerationum, *ut hic*, ſacrarum remunerationum. *l.* 10. *ſupr. de palat. ſacrar. largit. h. l. tit.* 24. *l.* 41. *C. Theod. de appellat.* Is eſt, per quem princeps largitiones publice & privatim facit: præſidebat donis imperialibus. *Caſſiodor.* 6. 44 Obſecundent. 45 Scriniarius magiſterianus, vel palatinus, qui commeatum accipit, ſi ſupra commeatus diem ſex menſibus abfuerit, quinque ſequentibus poſtponi debet. 46 *l.* 3. §. *ſi ad diem commeatus.* 7. *l.* 14. *in princ. ff. de re milit.* 47 His vero. 48 Miles, qui ſupra commeatus diem annum abfuerit, decem ſequentibus poſtponi debet. 49 Vocationem. 50 Transferatur. 51 Ne poſt. 52 Al. *nec poſt quadriennii quidem tempus militaverit*, *non &c.* 53 *Al.* Imp. Zeno A. 54 Penates, domus cujusque. 55 Biennium talis. al. *biennio talis.* 56 *L.* 7. *C. Th.* 13. 57 Pars *legis* 6. *C. Theod.* 58 Tyroni vix fidendum, ita tyroni cuſtodia non tuto committenda. *l.* 14. *in princ. ff. de cuſtodia.*

2. Imppp.

2. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA.

QUisquis [1] alieni juris mancipium in tyrocinio militiæ ſcribi curaverit: convictus, ac proditus auri libram ærario noſtro cogatur inferre, mancipio ſcil. [2] domino (ſi factum ignoraverit) reddendo. Dat. Id. Maji, *Tyro Metropoli*, PP. *Beryto*, ANTONIO, & SYAGRIO CONSS. 384.

3. [3] Imp. HONORIUS A. [4].

TYrones [5] in ſcholis loco ſemper poſteriore ponantur: nec [6] enim patimur quemquam celſiorem gradum obtinere, niſi cui & laborum adſiduitas, & ſtipendiorum prolixitas ſuffragantur. Dat. 7. Kalend. Decembr. *Ravennæ*, BASSO, & PHILIPPO CONSS. 408.

TIT. XLV.

DE [7] LITTORUM [8], ET ITINERUM CUSTODIA.

1. Impp. [9] HONOR. & THEOD. AA. Euſtachio P. P.

SAluberrima [10] ſanctione cenſemus [11], ne merces illicitæ ad nationes barbaras deferantur: & quæcunque naves ex quolibet portu ſeu littore dimittuntur [12], nullam [13] concuſſionem vel damna ſuſtineant: ita tamen ut earum naucleri deponant in quam [14] provinciam ituri ſunt: uti [15] hoc manifeſtato, nulla contra eos poſtea indignatio ſeu concuſſio quoquo modo procedat. Dat. 14. Kalend. Octobr. CP. DN. THEOD. A. IX. & qui fuerit nunciatus 420.

TIT. XLVI.

DE [16] DESERTORIBUS, ET OCCULTATORIBUS EORUM.

Recipiens ſcienter deſertorem in agro vel in domo, ſi eſt Actor vel Procurator, capite punitur. Bart.

1. Imppp. [17] GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Syagrio P. P.

SI [18] quis forte deſertorem agro tectove ſuſceperit, atque apud ſe diu paſſus fuerit deliteſcere: actor quidem vel procurator loci qui hoc ſciens prudensque commiſerit, capitali ſupplicio ſubjugetur: dominus vero ſi hujus rei conſcius fuerit, prædii in quo latuerit deſertor, amiſſione puniatur. Si quis autem deſertorem prodiderit [19], mediocris loci ingenuus immunitate potiatur. Neque ſolum de his loquimur, qui proxime ſignis [20] felicibus applicati, militiæ rudimenta timuerunt [21]: verum etiam qui ſtipendiis militaribus degenerem latebram præbuiſſe monſtrantur [22]. † Deſertor [23] autem habebitur, quisquis belli tempore aberit a ſignis. Horum qui ſponte proceſſerit: peccati anterioris ſupplicium non timebit. Sin vero flagitioſa ignavia deliteſcat: per eum in cujus domo fuerit invigilantibus extrinſecus quoque officiis publicis, ubicunque correptus, ſeveritati judicis offeratur, degeneris mortis [24] gladium ſubiturus. Sin autem Rector provinciæ propoſitam ſeveritatem, vel gratia, vel diſſimulatione diſtulerit, patrimonii, atque exiſtimationis damno ſubjiciatur: & in officii primores capitaliter vindicetur. Dat. Id. Jul. *Romæ*, GRAT. V. & THEOD. I. AA. CONSS. 382.

Deſertor inventus reſiſtens, ut rebellis opprimitur. Bart.

2. Imppp. ARCAD. THEOD. & HONOR. AAA. Adriano P. P.

SI [25] deſertores inventi, reſiſtendum [26], atque armis oppugnandum [27] putaverint: tanquam rebelles [28] in ipſis temeritatis ſuæ conatibus opprimentur: ita tamen ut provinciarum judices ſolicita cautione disquirant, ne ſub falſarum tractatoriarum nomine, deſertionis ſuæ crimen defendere moliantur: nec [29] ſuppoſitis, & [30] commentitiis epiſtolis evadendi habeant facultatem. Dat. 6. Kal. Mart. *Ravennæ*, THEOD. A. I. & RUMORIDO CONSS. 403.

3. Iidem AAA. Longino P. P.

QUi [31] relictis militaribus caſtris, ſe ad deprædationem, vel latrocinium contulerint, ſeveritatem Judicis non evadant [32]. Dat. 9. Kal. April. *Ravennæ*, ARCADIO A. VI. & PROBO V. C. CONSS. 406.

TIT. XLVII.

DE [33] VETERANIS.

Veterani gaudent privilegiis hic inſertis. Bart.

1. Imp. CONSTANTINUS A.

CUm [34] introiſſent principia [35], & ſalutatus eſſet a Præfectis, & Tribunis, & Viris eminentiſſimis, acclamatum eſt: *Auguſte Conſtantine, Deus te nobis ſervet [veſtra ſalus [36]] noſtra ſalus: vere dicimus: jurati dicimus.* Adunati veterani exclamaverunt: *Conſtantine Auguſte, quo nos veteranos factos, ſi nullam indulgentiam habemus?* Conſtantinus Auguſtus dixit: *Magis, magisque conveteranis meis beatitudinem augere debeo, quam minuere.* Victorinus veteranus dixit: *Muneribus* [37], *& oneribus* [38] *univerſis locis conveniri non ſinamur.* Conſtantinus Auguſtus [dixit:] *Apertius indica, quæ ſunt maxima munera, quæ vos contumaciter gravant.* Univerſi veterani dixerunt: *Ipſe perſpicis.* Conſtant. Auguſtus dixit: *Jam nunc Magnificentia mea omnibus* [39] *veteranis id eſſe conceſſum perſpicuum ſit, ne quis eorum in ullo* [40] *munere civili, nec in operibus* [41] *publicis conveniatur, nec ulla collatione, nec a Magiſtratibus, nec* [42] *vectigalibus in quibuscunque nundinis interfuerint, ullam ob* [43] *venditionem proponendam dare debebunt. Publicani quoque* (ut adſolent [44] agentibus ſupplere [45]) *ab eisdem veteranis amoveantur; quiete poſt labores ſuos perenniter perfruantur. Fiſco quoque noſtro eadem epiſtola* [46] *interdicimus, ut nullum omnino ex his inquietet: ſed liceat eis emere, & vendere, optimis negotiis pecuniam tractare, & mercimonia agitare, nec ſolum integra beneficia eorum ſub ſeculi noſtri otio, & pace perfruantur* [47], *ſed etiam nullo munere civili*, id eſt, *corporali, ſeu perſonali, vel deportatorio* [48] *onere eos affici concedimus.* Dat. Kalend. Mart. Civitate [49] *Bellovacorum*, CONSTANT. A. VI. & CONSTANTIO C. CONSS. 321.

Veteranus factus protector nullis injuriis eſt pulſandus. Bart.

2. Idem A. Maximo.

PRovidendum [50] eſt, ne veterani, qui protectoria dignitate cumulati, aut honores varios pro meritis ſuis conſecuti ſunt, incongruis pulſentur injuriis. quod ſi quis in hoc crimine fuerit deprehenſus: Rectores Provinciarum pro jurisdictione ſua examinantes factum pro ſui qualitate eos coërceant. Dat. 4. Kal. Jun. *Treveris*, JANUARIO, & JUSTO CONSS. 328.

3. Idem A. Euagrio P. U.

VEterani [51], qui ex negligentia vitæ, nec [52] rus colunt, nec aliquid honeſtum peragunt: ſed latrociniis [53] ſeſe dederunt: omnibus veteranorum privilegiis exuti, pœnis competentibus a Provinciarum Rectoribus ſubjiciantur. Dat. 3. Id. Auguſt. CONSTANTINO A. VI. & CONSTANTE II. CONSS. 353.

4. Impp. [54] HONOR. & THEOD. AA.

NUllus eorum, qui ſacramentis [55] inhærere deſierit, vel volens permittatur, vel invitus militare cogatur, ſeu ſtare judicum ſententiis [56]: quæ non his obſervatis latæ fuerint, nullam firmitatem habentibus; niſi [57] forte reperiatur ibi tempore militiæ cœpta cognitio, tunc enim velut necdum cingulo depoſito ſub militari Judice rem tractari, finirique præcipimus: niſi principali beneficio ſpecialiter indulto quidam ex his ſeſe defendant.

TIT. XLVIII.

DE [58] FILIIS OFFICIALIUM MILITARIUM, QUI IN BELLO MORIUNTUR.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Euagrio.

HI [59], qui [ex] officialibus quorumcunque officiorum geniti ſunt, ſive eorundem parentes adhuc ſacramento tenentur, ſive jam dimiſſi ſunt [60], in parentum militiam vocentur. Dat. prid. Non. Auguſt. BASSO, & ABLABIO CONSS. 331.

2. Imppp. [61] GRAT. VALENT. & THEOD. AAA.

FIlios [62] primipilariorum paternam ſequi conditionem oportet.

3.

SI [63] quis quocunque modo militans in bello moriatur, filius ejus, ſi unus ſit, vel ex multis major [64] natu, ſtatim in locum ejus ſuccedat, & easdem annonas accipiat, ſi pater usque ad Biarchi duntaxat gradum pervenerit. Quod ſi altiorem obtinuerit (veluti ducenarii, aut centenarii) filius ejus fiet tantummodo Biarchus. Manifeſtum autem eſt, majorem natu [65], in quem ejusmodi ſolatium confertur, fratrum ſuorum curam habiturum.

1 Similis eſt conſtitutio *l.* 5. *C. Theod. tit.* 9. *l.* 2. 2 Hæc non erant in C. Theod. ſed addita ſunt a Triboniano ex *l.* 6. *ſupr. qui mil. poſſ.* Mod. 3 *Al.* Impp. Honorius & Theodoſius AA. C. S. L. 4 *Al.* Anaſtaſius A. 5 *l.* 19. *C. Theod. h. t.* 6 Vide *l.* 7. *ſupr. de proximis ſacrorum ſcriniorum. hoc lib. tit.* 19. 7 *Lib.* 7. *C. Th.* 16. 8 Al. *littoribus.* 9 *Al.* Imppp. Gratian. Valent. & Theod. AAA. male. 10 *l. ult. C. Th. h. t.* adde quæ ſcripſi ad *l.* 11. §. 3. *ff. de publican.* 11 Vide *l.* 1. *§. quæ res exportari non debeant.* 12 Mittuntur. 13 Vide *l.* 3. *ſupr. de naviculariis. lib.* 11. *tit.* 1. 14 Qua provincia. 15 Ex hoc. 16 *Lib.* 7. *C. Th.* 18. vide 6. Harmen. 8. 17 *Al.* Imp. Theod. A. 18 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 19 Deſertorem indicantis & prodentis præmium. 20 Signa militaria quæ & quot generum fuerint, dixi ad Rubricam, *tit. de verborum & rerum ſignific.* 21 Tenuerunt. 22 Punitur hac lege, tyro, milesve deſertor, & occultator ejus. Præmio autem afficitur proditor ejus: ſervus libertate, quod huic legi addendum eſt ex *l. ult. ſupr. quib. ex cauſ. ſer. pro præm.* quæ eandem inſcriptionem & ſubſcriptionem habet: Ingenuus mediocris loci immunitate, ut in cauſa falſæ monetæ, *l.* 1. *ſupr. de falſ. mon.* ideo autem illud *mediocris loci* additur, quia qui ſuperioris dignitatis ſunt, ſatis per ſe a muneribus vilibus excuſantur. *Mod.* 23 Deſertor eſt qui belli tempore abeſt a ſignis. adde *l.* 3. §. *deſertor.* 3. *ff. de re militari.* 24 Degeneri morte, al. *degenerem mortem gladii.* 25 *Pars l.* 11. *C. Th. h. t.* Deſertor ſeu qui ad hoſtes transfugit, tanquam hoſtis a quovis poteſt impune occidi. 6. Harm. 8. §. 1. 26 Vide *l.* 2. *ſupr. quando liceat unicuique ſine judice.* 27 Al. *obtinendum*, in lib. Aured. *obnitendum.* 28 Ὡς πολεμίους, ut hoſtes. 6. Harm. 8. Rebelles tamen alio ſenſu, *in feudis*, *Qui Rebelles.* 29 Ne ſuppoſitis. 30 Vel commentis. 31 *l.* 15. *C. Theod. h. t.* 32 Multa etiam alia ſeverius in deſertores conſtituta ſunt, veluti ut a provincialibus opprimantur impune *l.* 2. *§. quand. lic. unicuique ſine jud.* ut ejus criminis abolitio non ſit, *l. ult. in fin. ſupr. de abolit.* ut morte non extinguatur crimen. *l.* 4. *ſupr. de re milit.* Mod. 33 *Lib.* 7. *C. Th.* 20. Περὶ τῶν ἀποστρατευομένων καὶ τῶν προνομίων αὐτῶν. De militibus emeritis & eorum privilegiis. *Synopſ. Baſil.* 57. *tit.* 6. 34 *l.* 2. *C. Th. h. t.* In nonnullis cod. ſic *incipit hæc l. Imp. Conſtantin. cum introiſſet principia, & ſalutatus eſſet a præfectis & tribunis, & a viris eminentiſſimis acclamatum eſſet Auguſte &c.* recte. *Contius.* 35 *Principia* in re militari quid eſſent, dixi ad *l. ult. ſupr. quæ ſit longa conſuetudo*, *l.* 12. *in fin. ff. de re militari.* 36 Al. *noſtra ſalus.* al. *abſunt.* 37 *l.* 2. *in princ. ff. h. t.* 38 Honoribus. 39 *l. ult. ff. h. t.* 40 Nullo. 41 Puta ob navium fabricam. *l. ult. ff. h. t.* 42 Imo vectigalibus tenentur. *l.* 2. *in fin. ff. h. t.* 43 Venalitium vectigal innuere videtur, de quo ſcripſi ad *l.* 4. *ſupr. de proximis ſacrorum ſcriniorum. hoc lib. tit.* 19. 44 Solent. 45 *Superpellere*, *in vet. lib. ſed in C. Th. ſupercompellere.* 46 I. e. teſtimoniali dimiſſionis veteranorum. ſic enim epiſtola etiam accipitur in *l.* 2. *ſupr. de deſertor.* & aliis quoque locis, de quibus vide Cujac. *ad l. ult. ſupr. de profeſſ. & medic.* Mod. 47 *Multa ſunt hic a C. Th. detracta & immutata.* 48 Igitur immunes ſunt veterani ab onere portorii, *l.* 9. *C. Theod. de veteranis.* Item operum publicorum, de quo *l.* 1. *ſupr. de oper. publ.* & collationum extraordinariarum. neque quidquam debent civitatibus vel publicanis ob venditionem proponendam. *Mod.* 49 *In civitate Velovocorum, in Cod. Theod.* 50 *l.* 5. *Cod. Theod. h. t.* 51 *Pars legis* 7. *C. Theod. h. t.* 52 Veteranorum exercitia poſt miſſionem, rus colere, aut tale aliud honeſtum vitæ genus ſectari. 53 Milites ſeu pro militibus non habendi latrones armati. 54 *Al.* Imp. Theod. A. 55 Sacramentum militare quid, dixi ad *l.* 2. *ff. h. t. l.* 11. *ff. ad l. Jul. de adulteriis.* 56 Veterani mutant forum; nec enim jam amplius militare judicium obſervare coguntur, niſi ante miſſionem in eo lis conteſtata fuerit. Sic mulier per nuptias mutat forum, niſi ante nuptias litem inchoaverit. *l. pen. ff. de jurisdict.* Sed ipſa ſe prioris judicis jurisdictioni volens ſubmittere poteſt; veteranus duciano judicio ſe ſubmittere non poteſt. *Mod.* 57 In jus vocatus, ſi poſtea militiæ nomen dederit, non poteſt in ea cauſa uti præſcriptione fori, quaſi præventus, *ut hic*, *& l.* 7. *ff. de judiciis. l. pen. ff. de jurisdict.*

58 *Synopſ. Baſil.* 57. *tit.* 7. *&* 7. *C. Theod.* 22. 59 *l.* 3. *C. Theod. ib.* 60 Erunt. 61 *Al.* Idem A. *al.* Impp. Arcad. & Honor. AA. 62 Facit *l.* 11. *C. Theod. h. t.* 63 Ut defuncti militis filius natu major ſtatim in locum patris ſui ſuccedat, & easdem annonas accipiat, usque ad Biarchi gradum. *Synopſ. ib.* 64 Primogenitis militum ſua fuit prærogativa. 65 Primogenitus frater fratrum inferiorum curam gerere debet.